

quorum veritatem profiteri posset, quàm in ambiguum dubia subtilitate ostentare ingenij acrimoniam. Haud quidem longius certè, vel etiam propius omnino ab futuras suas indicationes sextante, aut quadrante partis vnus à vero; cuius defectus, tantum abesse vt se pœniteat, vt magnopere latetur, huc vsque longo tempore, ingenti labore, maxima contentione, studio & industria singulari, procedere potuisse. Mercurium quidem, quasi secundum prouerbium Græcorum, relinquebat in medio communem; quòd de illo neque suo studio obseruatum esse diceret, neque ab alijs se accepisse, quo magnopere adiuuari, aut quòd omnino probare posset. Me quidem multa monens, subiiciens, præcipiens, in primis hortabatur, vt stellarum inerrantium obseruationi operam darem, illarum potissimum, quæ in signifero apparent, quòd cum his errantium congressus notari possent, &c. Hactenus ex epistola Rhetici ea, quæ ad rem fuere. Quid tu iam, amice Lector, de Copernico sentis? Si de hoc negotio fuisset monitus, atque deprehendisset, quàm propè absit ab eo cum suis rationibus, quid putas non tentaturus fuisset, quem laborem non sumpsisset, vt corpora cum suis orbibus conciliaret? Atque hoc si daretur, qui consensus, quæ perfectio non speranda esset? Qua in re quid alij, quid ipse Mæstlinus aliquando, fauente Deo, præstiturus sit, tempus docebit. Interea nolim, quis temerè contra me pronunciet; & æquo animo hanc litis dilationem ferat.

CAPVT XIX.

De singulorum in specie Planetarum residua discordia.

HÆC igitur in genere fuere, quæ causam meam releuare possunt. Nunc in specie videamus, ecquid excusari amplius possit. Initium à Saturno sumamus. Atq; eius quidem ἀποσήμετι magna facta est accessio: sed quæ tamen differentiam prosthaphæreseos causata est non maiorem 41. scrupulis. Nam sicut ingens eius distantia facillimam errori causam præbet in obseruatione: sic error in distantia quamuis luculentus exiguam & opinione minorem efficit in προσ- διαφερέσει diuersitatem. Et tamen neque huius sideris motus certissimè dimensos esse Astronomos, vel sola præterita hyeme cerne-
I 2 re erat.